Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Statuta Ruralis Capituli Linzgoviensis

Marquard Rudolf <Konstanz, Bischof>

Constantiae, 1699

Caput X. De divisione redituum decimalium

urn:nbn:de:bsz:31-129236

Visual Library

Annuatim ex Burſa Capituli Camerarius eidem ſolvit 4 fl. Quoties diſtrictum Capitularem ob negotia Capituli percurrit, ſimiliter percipit 1. fl. 30. Kr. Si quis ex beneficiatis è vita diſceſſerit, Pedellus ex relicta hæreditate Parochi 3. fl. alicujus verò Capellani 2. loco optimarum caligarum, inſuper & pileum defuncti, reportabit. Quotiescunque Decano, aut Camerario, aut utrique ſimul in negotijs juſtè occupatus inſervit, ſingulis diebus habebit præter victum honeſtum 20. Kr.

Caput X.

De diviſione redituum decimalium.

UT partitio omnium Parochialium ſeu beneficialium reddituum inter decedentem, ſeu ejus hære-

hæredes, & ſucceſſorem æqua lance fiat, ac omnis anſa litibus, controverſiisque præſcindatur, eam bonorum diviſionem, quæ ab anteceſſoribus noſtris laudabiliter ſancita fuit, futuris temporibus inviolabiliter ſervari volumus, nempe ut præſente Decano & Camerario omnes proventus tum frumentorum, quàm pecuniarum juxta duodecim menſes in 12. portiones diſtribuantur, ita quidem, ut, quot menſes anteceſſor ſupervixerit, totidem portiones hæredibus aſſignentur, reliqui verò menſes cum ſuis portionibus ſucceſſori cedant, & adnumerentur.

Quando anteceſſor ultra certos menſes etiam una aut altera ſeptimana vixerit, tunc menſis in hebdomades dividatur, & æquæ portiones juxta numerum ſeptimanarum, ac dierum fiant.

Ad agros verò, ſeu vineas, & prata

ta parochialia , & beneficialia quod attinet, ſi, poſtquam ſemina ſunt agris commiſſa , aliquis intra annum moriatur, vel diſcedat , amicabilis fiat compoſitio inter hæredes mortui, ſeu diſcedentem , ac ſucceſſorem, ſeminum fructus , aliasque expenſas computando in hunc , ut ſequitur , modum. Quandoquidem omnes redditus & fructus annui in plerisque locis ad diem D. Joannis Baptiſtæ ſuum ſortiantur initium, ac finem circa idem feſtum anno ſequenti, ideo ſi anteceſſor Parochus in colendis pratis & agris quosdam fecerit ſumptus, arando , occando, ſeminando, ſepiendo, metendo, colligendo, aut etiam ſtercorando &c. ijsque poſtea ſponte cedat, & reſignet , aut moriatur v. g. integro ſemianno elapſo , tunc ejus ſucceſſor æqualem quoad redditus, & fructus totius anni jam perceptos, & percipiendos cum anteceſſore ſuo, vel

ipſius hæredibus, portionem portabit, ita ut dimidiam expenſarum factarum & faciendarum partem in ſe ſuſcipiat, rationi enim æquitatique conſonum eſt, ut pares ſint lucri & oneris, ac expenſarum portiones, ſi verò non per omnia, ſed quarta tantùm anni parte Eccleſiæ deſervierit, anteceſſori ipſi, vel ejus hæredibus 4ta quoque pars proventuum aſſignetur, & ſic conſequenter ſtatuendum de alijs anni temporibus.

Quòd ſi aliquis è vivis excederet, aut reſignaret ſuum beneficium circa finem anni, videlicet feſtum S. Joannis Baptiſtæ, poſtquam jam coluiſſet agros, ſeu prata pro futuro anno, tali caſu ſucceſſor omnes percipit fructus, eodem anno naſcentes, & naſcituros, tenetur tamen anteceſſori vel ejus hæredibus refundere ſumptus ſtercorationis, ſeminis, & aliorum operum juxta Decani, Camerarij, & bonorum virorum æſtimationem.

Quod quidem juri æquitatiq; conforme eſt,ut illi fructus cedant,qui eo año Eccleſiæ vel altari inſerviturus eſt, beneficium námque datur propter officium, quod ab anteceſſore in ſucceſſorem devolutum eſt; ſi verò aliqui ſuos redditus ſingulis angarijs paratâ pecuniâ perciperent, tunc in diſceſſu decedentis ſunt hebdomadæ numerandæ, nummique ex æquo dividendi.

Caveant interim recedentes, vel eorum hæredes, ne quid in hac parte malitiosè reticeant, & ſic ſucceſſorem ſuo jure defraudent, in quo tales ad pœnam reſtitutionis obligamus, ſimiliter reſtitutionem faciet, qui plùs æquo & ultra ſuam partem de redditibus conſumpſit, vendidit, aut in alios uſus, eóſque proprios convertit.

Ut autem faciliùs hæc bonorum diviſio peragatur, & jus ſuum cuique

tri;

tribuatur, Decanum, ſeu Camerarium, aut alium ab his conſtitutum adeſſe volumus, beneficiatos etiam omnes ſuos proventus in urbarium aliquod authenticum diſtinctè, & diligenter conſcribere, quod ſuccedenti ſine omni dolo & tergiverſatione tradatur; onera etiam, & quæ pro fructuum collectione, vel præparatione, vel etiam in ædium beneficialium reparationem & conſervationem, aliosque uſus neceſſarios eo anno impenſa ſunt, annotent, ut ea uterque tam cedens, quàm ſucceſſor, juxta quantitatem proventuum, pro rato temporis perceptorum, proportionaliter patiatur, qui enim medietatem percepit proventuum, medias quoque patiatur expenſas, æquum eſt, qui 4tam fructuum accepit partem, 4tam partem patiatur expenſarum, qui 6tam, 6tam, qui decimam, decimam, & ſic de alijs temporum diffe-

rentijs. Idem erit de penſione illa annua vulgò Vogtrecht / quam quibusdam in locis collatoribus dari mos obtinuit &c.

Sub hoc autem decreto cenſus anniverſariorum dierum compræhenſos nolumus, cum enim illorum peractiones ad diverſa anni tempora inæqualiter diſpertiantur, uni partium haud dubiè præjudiciale foret, ſi eorum cenſus juxta ratum temporis dividerentur, uti cuilibet conſideranti manifeſtum fiet, unde velut æquum rationique conſonum viſum eſt, ut cenſus iſti taliter dividantur, ut videlicet ſecedens eorum anniverſariorum recipiat cenſus, qui per ipſum ſtatutis temporibus juxta fundationem fuerunt peracti, ſuccedens verò reſiduorum per ſe adhuc celebrandorum, neq; ullus falcem ſuam in alienam meſſem mittat, aut alienos labores ſuis uſibus uſurpet, ſi verò præcedens ali-

quorum anniverſariorum nondum peractorum cenſus recepiſſet, ad horum reſtitutionem juxta hoc ſtatutum noſtrum, ſuo ſucceſſori faciendam teneatur.

Caput XI.

De partitione proventuum prædij Parochialis, & elocatione ejusdem.

CIrca dictum prædium Parochiale, vulgò Widumguet / notandum occurrit, quod ab antiquis temporibus in Capitulo noſtro moris fuerit, ut illud metat, & fructus percipiat is, qui ſeminaverit. Quod ad ſucceſſorem attinet, ſi ſemina terræ commiſſa, fructusque talis præ-